

Johann Kleinschmidt    Heinrich Stammich

## **Disputatio Iuridica De Emptione Et Venditione,**

Rostochi[i]: Reusnerus, 1636

**<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn731645758>**

Druck    Freier  Zugang



Kauf und Verkauf

Joh. Kleinschmidt (Heinr. Stammich)

R. U. in 1636.







57. 36

DISPUTATIO JURIDICA  
DE  
EMPTIONE ET  
VENDITIONE,

*Quam*

aspirante Divini Numinis gratiâ,

PRÆSIDE

VIRO

*Clarissimo, & Consultissimo;*

DN. JOHANNE Kleinschmiedel


J. U. D. & Profefs. Juris ibidem Ordinario, Fautore  
& Meccenate meo plurimum  
colendo,

*publice discutiendam proponit*

HENRICUS STAMMICHIVS

HAMB.

ad diem 23. April. in Auditorio majori.



ROSTOCHI;

Typis JOHANNIS REUSNERI,

ANNO M. DC. XXXVI.

1636



DISPUTATIO JURIDICA

DE

EMPTIONE ET  
VENDITIONE



HENRICUS STAMMCHURUS

HAAB

ad diem 25 April in Auditorio publico

Rostock

THE JONAS WIS REUSNER

ANNO MDCCLXXVI



Spem DEUS esse ratam velit, & mea cœpta secundet.

**P**aleratâ polylogagâ materia, de quâ acturus, præfatione omisâ, ne vino vendibili hederam videar apponere, Emptione & Venditione res inter homines maxime communicari, adeoq; hoc contractu in commercii humanis nihil frequentius, præstantius aut æquabilius esse, nemo est, ut arbitror, quem latere possit. Hoc igitur diligentius nonnihil mecum reputans, constitutum atq; deliberatum cum animo habeo, de prædictâ materia, emptione videlicet & Venditione pauca in medium proferre: si prius DEUM Triunum, cujus ductu ad omnes actus, omniaq; consilia semper progrediendum l. 2. C. de offic. præf. præf. Afr. ex imo cordis penetrali invocavero, ut conatibus nostris aspirare, suoq; numine nobis adesse velit, quo metam consequamur exoptatam. Quibus præmissis sit.

## THESIS I.

**E**Mptio & Venditio (a) est contractus de re pro certo pretio (b) tradenda (c) ex Jure Gentium descendens (d) nominatus (e) bonæ fidei (f) solo consensu initus (g)

(a) Unus hic est contractus, nomen habens ab utroq; contrahente duplex. Licet etiam aliquando totus hic contractus alterutro horum verborum exprimat *l. 34. pr. de contr. empt. & alibi*. Propriè tamen differunt, emere & vendere, emptor & venditor, tum re, tum nomine, *l. 1. §. 1. de contr. empt. l. 1. de rer. permur.*

(b) Certi pretij determinatio in hoc contractu requiritur, ut pateat differentia inter emptionem venditionem & permutationem. In emptione enim & venditione hoc agitur, ut



res certo pretio communicentur, in permutatione autem, ut res rebus commutentur. *d. l. 1. § 1. de contr. empt. l. 1. de rer permut.*

(c) *l. 8. de evict.* Ideo enim hic contractus celebratur, ut emptor rem, venditor vero pretium consequatur. *l. 13. §. 19. & 20. de act. empt. & vend.*

(d) Juris gentium esse hunc contractum liquidò probatur *ex l. 1. §. fin. de contr. empt. l. ex hoc jure §. de Just. & jur. l. Juris gent. 7. pr. & §. 1. de pact.* Nec Juris gentium id duntaxat esse dicendum est, quod ab ipsa ratione rectà deductum est, sed quod necessitate exigente per ratiocinationem adinventum, & postmodum à plerisq; gentibus successu temporis usu receptum atq; comprobatum est. *§. 1. Inst. de Jur. natur. gent. & civil.*

(e) Dicitur emptio venditio contractus nominatus, quod speciale, certum, nec alteri conveniens nomen obtineat *l. 7. §. 1. de pact.*

(f) Refertur inter contractus bonæ fidei. *§. 28. Inst. de action.* non quidem ac si in cæteris stricti Juris contractibus bona fides non requiratur, quæ tamen in omnibus contractibus exigitur. *l. bonam fidem 4. C. de Oblig. & Act.* Sed quod ex his contractibus simplici quadam ratione boni & æqui, absq; ulla subtilitatis disputatione præstanda sint etiam ea, de quibus inter contrahentes nominatim nihil convenit. *l. 7. de negot. gest. l. sed Celsus 6. §. 1. de contr. empt.*

(g) *arg. pr. Inst. de oblig. ex conf. l. 2 §. 1. de contr. empt.* Licet autem omnis contractus in se habeat consensum, *l. 1. §. 3. de pact. & contractus non perficiatur ab invito, l. 5. C. de Obl. & Act.* attamen in consensualibus contractibus, solus consensus contractum perficit, *d. pr. Inst. de Oblig. ex conf. l. 2. §. 1. de contr. empt.* cum alij contractus ad sui perfectionem præter consensum aliquid amplius desiderent, v. c. traditionem & verba. Sic in stipulationibus præsentia contradentium requiritur, *Inst. de Inutil. stipul. & in mutuo rei traditio* exigitur. *l. 2. ff. de reb. cred.* Id in his contractibus Emptione & Venditione. Locat. & Conduct. Societate & Mandato non obrinet, sed sufficit in his contrahentes consensisse, nec requiritur vel præsentia vel datio ullius rei. *l. 2. §. 1. de Oblig. & Act. l. 35. §. fin. ff. de V. Obl.*

II. Ad



AD perfectionem itaq; emptionis venditionis requiritur consensus (a) qui versatur circa pretiū (b) & mercem. (c)

(a) *l. 9. de contr. empt.*, ex quo consequitur, errore interveniente hunc contractum vitari *arg. l. 116. in fin. de R. I.* Interventit autem error aliquando ratione mercis vel circa corpus v. c. si de alio fundo sentiat emptor, de alio venditor, & emptionem hoc casu non perficit, ostendit *d. l. 9. de contr. empt.* vel circa corporis qualitatem v. c. si æs pro auro veneat, & pariter venditio nulla est. *d. l. 9. §. 2. & l. 14. de contr. empt.* Ex quâ tamen hæc distinctio elicitur, ut prædicta obtineant, si in totum erretur in qualitate rei, secus si ex parte v. c. si æs auro mixtum & inauratum pro auro veneat. Hoc enim casu emptio venditio subsistit, *l. quid tamen 14. de contr. empt.* & venditor tenetur, quanti interest emptoris, non esse deceptum. *l. 21. §. 2. de act. empt.*

(b) Ex pretio emptionis substantiam consistere inquit Papinianus in *l. pacta conventa. 72. de contr. empt.* & sine eo nullam esse venditionem tradit Ulpianus in *l. 2. §. 1. ff. eodem.* Quod tamen cautè accipiendum est, cum realem pretii interventionem ad perfectionem hujus contractus non requiri ex præcedentibus patet. Debet autem hoc pretium semper esse certum, *§. sed & cert. 1. Inst. de empt. & vendit. l. 9. C. de contr. empt.* & in pecuniâ numeratâ consistere. *Sicem pretium Inst. de empt. & vendit.* Rursus certum dicitur vel simpliciter vel per relationem, unde pretium in arbitrium alicujus tertij conferri potest. Quod si tertius definiat, venditio perficitur, illo autem non definiente, pro nihilo est venditio, quasi nullo pretio statuto, ut Imperator loquitur in *§. 1. Inst. h. t. & l. 15. C. de contrah. empt.* Et ita hoc casu, quando pretium in arbitrium tertij confertur, venditio non pura contrahitur, sed conditionalis. Tertio enim pretium non declarante, vel quod non velit, vel quod non possit, venditio nulla est, tanquam conditione non existente. *d. l. 15 C. de contr. empt.*

(c) Merx appellatur res quæ venditur, *arg. l. 1. ff. h. t. & l. 1. de ver. permut.* quæ in tantum requiritur, ut emptio venditio, sine



re, quæ veneat, nulla fit. *l. nec emptio s. h. t.* Quod tamen simpliciter dictum ita explicandum est, ut sufficiat partes mercem determinasse.

### III.

**C**onsensus non tantum in præsentia sed etiam absentia per nuncium & epistolam recte interponitur (a) isq; si liber non sit, sed metu vel vi coactus rescissioni causam præbet, (b) si obscurus interpretatione iuvandus est. (c)

(a) *l. 1. §. fin. de contr. empt.* Quia literæ non minus animos contrahentium jungunt, quam verba ab ipsis contrahentibus prolata. Idq; consequens est traditis à nobis *th. 1.*

(b) *l. 1. §. tot. tit. quod meus causâ. l. 1. C. de rescind. vend.* Regulariter enim nemo compelli debet, ut invitus rem propriam vendat. *l. invitum C. de contr. empt. l. 13. & 14. C. eodem.* Certis tamen casibus hoc permittunt, v. c. si Respub. vel civitas aliquâ prematur annonæ inopiâ, licet dominus merces venales non exposuerit, nec eas venditioni publicè obtulerit, nihilominus ad vendendum cogi potest, iusto scilicet pretio à Principe vel Magistratu definito. *Mynsing. cent. 5. Obs. 27. Gail. lib. 2. Obs. 5. n. 18.*

(c) Et quidem si obscuritas quædam ex verbis contrahentium oritur, interpretatio fit contra eum, qui potuit legem contractui dicere apertiolem, plerumq; contra venditorem, *l. 21. l. cum in lege 33. ff. de contr. empt.* nonnunquam etiam contra emptorem. *l. 34. eodem.*

### IV.

**E**mpcio venditio obscura subsistit, ut *l. præcedenti* simulata autem pro nulla habetur (a) unde uno nummo emptio & venditio contrahi non potest. (b)

(a) *l. 55. h. t.* estq; hoc etiam aliis contractibus commune, ut simulati non valeant. *l. 54. de Oblig. & Act. l. 46. locat. l. 10. §. ult. de acquirend. possess.*

(b) Hæc quæstio ita simpliciter proponi solet, quæ tamen pertinet ad terminos habiles, & casum quo res longè maioris

ris



ris æstimationis venditur vilissimo pretio, v. e. si ædes splendida  
uno nummo vendantur. Quo casu, cum emptio talis in con-  
tractum simulatum incidat, eam nullius momenti esse paulo antè  
dictis consequens est. Si verò inter nummum & rem venditam  
proportio quædam sit, dubium non esse, quin valeat emptio &  
venditio tradit *Hunnus ad Treutl. hic q. 45.*

## V.

**O**Mnes res five corporales, five incorporales (a) mo-  
dò hominum commercio non sint exemptæ (b) re-  
ctè venduntur.

(a) *l. si in empt. 34. §. 1. de contrah. empt.* ut nomina & actio-  
nes *l. 3. C. de act. vel hered. vend.* Item alea & spes in emptione ja-  
ctus retis. *l. 2. §. 1. h. t.* Nectantùm res propriæ, sed etiam alienæ.  
*l. 28. de contr. empt.* Per quam tamen venditionem domino præju-  
diciùm afferri non potest. *d. l. 28.*

(b) Quorum enim commercium interdictum est, eorum  
nulla venditio est. *d. l. 34. §. 1. de contr. empt.* Hinc emptionis ob-  
jectum non constituunt liber homo, *l. 6. d. t. l. 34. §. 2. eodem res*  
*publica & publicis usibus destinata, l. 8. de usucap. l. 83. §. 5. de Verb.*  
*Oblig. res sacra, sancta, religiosa, d. l. 6. h. t.* Quædam licet in com-  
mercio sint, secundum quid vendi prohibentur, ut arma hosti-  
bus Imperij, sub pœnâ capitis & confiscationis bonorum. *l. 2. C.*  
*quæ res export. non deb.* Sic frumentum exercitui missum ab alijs  
emi non potest, in ementes pœnâ vel amissionis bonorum &  
proscriptionis, vel capitis constitutâ, *l. fin. C. quæ res vend. non poss.*  
Venena quoq; quâ talia, & quatenus nocent, vendi interdictum  
quatenus autem per adjectionem aliarum materiarum salutaria  
facta sunt, horum venditio permittitur. *l. 35. §. 2. de contr. empt.*  
Nec res litigiosa in venditionem cadit, *l. fin. C. de litig.* Sux quoq;  
rei emptio non valet. *l. 4. & 10. C. de contr. empt.* Si tamen quis rem  
sacram, religiosam liberum hominem ignorans à sciente emit,  
emptio intelligitur, *l. 4. cum 2. h. seqq. ff. de contr. empt.* ita ut emptor,  
qui rem sacram, religiosam vel publicam pro re profanâ vel pri-  
vatâ deceptus à venditore emit, habeat actionem ex empto, per  
quam consequatur, quod sua interest, deceptum non esse, *§. fin.*  
*Inst.*



*Inst. de empt. & vendit. l. qui officii 62. §. i. ff. de contr. empt. quia difficilè dignosci potest res sacra, religiosa vel publica à re profanâ & privatâ, sicuti & liber homo difficilè discernitur à seruo, l. 5. ff. de contr. empt., ita ut nihil emptori imputari possit.*

## V I.

**E**Mere & vendere omnibus licet, qui naturâ & lege non prohibentur. (a)

(a) Promiscuè horum exempla congeffimus, qui modò absolutè modò respectivè tantùm prohibentur. Sic Jure Justiniano Magistratibus in provincia quam administrant, nisi pro necessitate victus & vestitus contrahere prohibitum est cum suis subditis, *l. unic. C. de contr. jud. ut esset privatis liberior potestas licitandi & pretij adaugendi, nullo Magistratum metu impeditis & deterritis. Conn. 7. comm. 7. n. 2. & 3.* Eodem ferè modo in forensibus & prædijs statuto Wirtembergico cautum esse Bocerus author est, *Disp. 3. class. 2. th. 30. ne quis subditus prædium aliquod provinciale forensi venderet, Landesordnung / tit. dass niemand / so nicht unter unsers Fürstenthumbs Obrigkeit geseffen / einig liegend Gut zu kauffen gebe.* Cujusmodi statutum favorabile est, *Gail. lib. 2. Obs. 19. n. 2.* Deinde tutor à pupillo emere prohibetur ob officium, *l. si in empt. 34. §. fin. de contr. empt.* Potest tamen tutor à contutore, & bonâ fide, & justo pretio rem pupilli emere, *l. 5. §. 2. ff. de authorit. & cons. tut.* Inter patrem quoq; & filium emptio nō consistit, nisi in castrensi vel quasi castrensi peculio, *l. 2. ff. de contr. empt.* & in adventitio, eo casu quo ususfructus ad patrem non pertinet, *l. fin. C. de bon. qua lib.* Miles etiam in loco ubi militat immobilia emere non potest, nisi bona paterna, quæ à fisco venduntur, *l. 62. ff. de contr. empt.* Deniq; furiosus ob defectum consensus, *l. 2. C. de contr. empt.* & prodigus cui bonis interdictum est, neq; emere neq; vendere possunt, *l. 6. de Verb. Oblig.*

## V I I.

**C**ontractus emptionis & venditionis bifariam celebratur, vel sine scriptis (a), vel in scriptis (b).

(a) *Inst.*



(a) *Inst. de empt. & vend. pr. l. 17. C. de fid. Instrum.* Emptio sine scriptis solo consensu regulariter perficitur statim, quando inter partes conventum est, de pretio & merce, licet nihil datum sit, & sic neq; traditio rei, neq; pretij neq; arrharum intervenerit. *Inst. pr. h. t.* Si verò conditio quædã sit adjuncta, venditio non perficitur nisi impleta fuerit conditio ut *Ulpianus* loquitur *l. 7. ff. de contr. empt.*

(b) In scriptis contrahi dicitur, cum inter contrahentes id expressè actum est, ut contractus in scripturam redigatur, & tùm demum censetur perfecta emptio, cum & instrumenta emptionis fuerint conscripta, vel manu propriã contrahentium, vel ab alio quidem scripta à contrahentibus autem subscripta. Scripturã igitur ad dictum modum non absolutã, & quamdiu aliquid ex his deest, pœnitentiæ locus est, & potest emptor vel venditor sine pœnã recedere ab hoc tractatu, nisi arrha fuerit data, quam emptor, perficere recusans contractum, perdit, & venditor in duplum restituit. si per eum stet, quo minus contractus perficiatur, *l. 17. C. de fid. Instr.* Ab emptione autem perfectã recedere non licet, *l. 3. C. de resc. vendit. l. 7. C. eodem.* ne quidem cum amissione arrharum, per textum in *pr. Inst. h. t.* qui apertè loquitur de contractu non perfecto, ibi *donec aliquid deest & c.* Idemq; probat *l. 17. C. de fid. Instr.* quæ loquitur de emptione faciendã, de eo qui vendere pollicitus est, & de eo qui emere pactus est. Porro cura emptio nudo consensu absq; arrharum datione perfecta pœnitentiã alterutrius non annihilatur, quod contractus perfecti necessitate astringunt contrahentes, *d. l. 3. & l. 7. C. de resc. vendit.* multò minus annullabitur, si arrharum datio intervenerit. Quia quod firmandæ obligationis causã intervenit, non debet diminutionem ejusdem operari, & accessorium non debet eam habere vim, ut ob id à principali obligatione recedatur, *Donell. in l. 17. C. de fid. Instr.* sed & absurdum videtur contractum super pretiosã re factum, propter arrhas exigui plerumq; pretij irritari debere. Si tamen quis emptionem & venditionem perfectam adimplere recusat, invitã alterã parte, ut si v. c. nolit venditor rem venditam tradere, competit emptori adversus venditorem actio ex empto, ut tradat rem venditam, vel præstet id quod interest, ut dicemus suo



loco. Et hæc pertinent ad casum, quo ab unâ tantum parte contractus relinquitur, re verò integrâ mutuo contrahentium consensu ab emptione & venditione recedi potest, *l. 58. de pact. l. 2. de resc. vendit. l. 1. C. quand. ab empt rec. lic.*

### VIII.

Dicendum nunc erit de præstationibus partium, & prius agendum de obligatione ex parte Venditoris. Venditor itaq; principaliter emptori tenetur ad traditionem mercis, & omne id quod ex æquo & bono præstari oportet (a).

(a) *l. 2. §. 3. de Obligat. & Act. tit. Inst. de obligat. ex cons. Univerſum debitum ad quod venditor emptori tenetur est vel principale vel accessorium. Principale continet traditionem mercis, §. 2. Inst. de donat. l. 11. §. 2. de act, empr. l. 68. in fin. de contr. empr. §. 1. Inst. eodem. per quam emptionem dominum facit, si venditor fuerit dominus, *l. ex empto 11. §. 2. l. servus 30. §. de act. empr. Donell. lib. 13. c. 5. n. 50.* Sin minus usucapiendi saltem conditionem in emptorem transfert, & venditor de evictione tenetur, etiam si nihil expressè de eâ convenerit. *d. l. 11. §. 2. l. in vendendo 66. pr. de contr. empr.* Si tamen actio vendita sit, eam cedere venditor emptori tenetur, vel exercendam committere. *l. qui filijfam. 14. & l. 23. de hered. vel act. vendit.* Accessorium debitum est, quod ultra mercem principalem obligatione emptionis continetur, estq; vel naturale vel conventionale. *Boc. clas. 2. disp. 3. rh. 75.* Naturale est, quod emptionis qualitas & vis naturalis citra conventionem adjectam producit. Quo referendum est commodum, quod emptione factâ ad mercem accedit, ut, fructus, operæ, foetus, partus. *l. 13. l. 16. C. de act. empr. l. Julian. 13. §. 10. eodem.* Quodq; per alluvionem fundo accedit, *l. id quod. 7. de peric. & comm. rei vendit.* Conventionale debitum est, quod ex contrahentium pactionibus emptioni in continenti adjectis proficiscitur, de quibus pactionibus infra agemus.*

### IX.

IN emptorem transferendum est vel dominium vel jus usucapiendi ut th. præced. Circa pius quæritur?  
utrum



utrum in emptione venditione vacua possessio ad translationem dominij sit necessaria?

Affirmamus per l. 8. C. de act. empr. & vend. l. 12. C. de probat. l. 13. C. de distract. pign.

X.

**V**enditorem qui facultatem rei tradendæ habet, regulariter ad rei traditionem præcisè cogendum non esse, sed interesse præstando liberari existimamus.

Per textum in l. 17. C. de fid. Instr. ubi verba alternativa ibi: *necessitas venditori imponatur vel contractum venditionis perficere, vel id quod emptoris interest, ei persolvere*: ad venditorem directa sunt, eumq; debitorem faciunt alternativum, in cujus potestate est, alterutrum solvere, l. 2. §. non ubiq. 3. de eo quod cert. loc. & ulterius th. meam probant. l. 1. pr. l. 11. §. 9. de act. empr. l. 10. pr. quibus mod. pign. solv. l. 4. C. de act. empr. Accedit his, quod sæpè modus non appareat, quomodo illa præcisa coactio possit executioni dari. Nam per impressionem in corpus illud fieri, duriusculum. Extraordinariè tamen aliquando ob gravem causam, & præcipuè si res hominum oculis pateat, & abscondi non possit, ut immobilis, rem venditam aufeati, & in eumentem transferri posse non negamus. per l. 68. de rei vend.

XI.

**V**enditor debet rem tradere incorruptam & sine vitio.

Tenetur enim alias venditor de morbis & vitiis rei venditæ etiam ex Edictio edicto, si v. c. pecus morbosum pro sano, vitiosam & corruptam rem, pro integra & salva alicui vendiderit. Quo nomine ex Edictio edicto duæ dantur actiones Redhibitoria & æstimatoria seu quanto minoris. l. 18. pr. de edictio edict. Actione Redhibitoria ob rei vitium seu morbum tota rescinditur venditio, omnibus & datis & acceptis in integrum restitutis. l. 27. eodem. Actio autem æstimatoria seu quanto minoris, datur in hoc, quanti res minoris est, seu quanti plus res empta est, ut



venditor damnetur illud reddere. Quæ tamen actio aliquando etiam redhibitionem continet, si tale sit vitium, ut ob id rem actor empturus non fuerit. *l. 25. §. 1. de except. rei judic.* Ulterius redhibitoria actio sex mensibus regulariter, quanto minoris anno concluditur. *l. 2. C. b. t. l. 38. ff. eodem.* Ob ornamenta tamen iumentorum redhibitoria tantum datur ad duos menses. *d. l. 38. ff. de edil. edit.* Quod & obtinet in casu, quo venditor non cavet, *l. 28. d. h. t.* nisi actoris inter sit, quo casu similiter sex menses definiuntur. *d. l. 28.*

## XII.

**V**enditor porro de evictione tenetur, si res vendita ab emptore evicta & ablata fuerit.

Cum enim injustum sit, emptorem pretio emungi, venditorem autem ex alterius damno lucrum percipere, utiliter constitutum est, ut de evictione venditor conveniri possit. *l. 8. de evict.* Idq; ex naturâ contractus, etiam si nihil super eâ conveniret. *l. 6. C. de evict. l. 60. ff. eodem.* Ut autem venditor, de evictione teneatur, requiritur I. emptorem ignorasse rem venditam fuisse alienam. *l. 27. C. de evict.* Sibi enim imputet, quod sciens se ejusmodi exposuerit periculo. II. Ut res evincatur ex justâ causâ, ut quia res fuit aliena, vel pignori obligata, sine culpâ emptoris. *l. 63. §. 2. h. t. Donell. ad tit. 48. lib. 4. C. pag. 371.* III. Ut emptor maturè denunciet venditori, litem contra se esse motam. *l. 8. C. de evict.*

## XIII.

**H**actenus de præstationibus ex parte venditoris, sequuntur ex parte emptoris.

Emptor tenetur pretij dominium in venditorem transferre.

*l. 1. pr. de rer. permut. l. 11. §. 2.* ubi Gothofred. hanc reddit rationem, quod scilicet pretij debitor, sit debitor generis, venditor autem sit speciei debitor. Sed & videtur, rationem rectè desumi posse ab ipsâ naturâ pretij, cujus citra consumptionem nullus usus esse potest, ideoq; dominum esse oportet, qui eo ad consumptionem utitur. Præstatio autem venditoris hoc casu ab emptore diversa est, Illa enim tantum præstat habere licere. *l. 30. §. 1. de act.*



de act. empr. Et quidem in tantum tenetur emptor pretij dominium transferre, ut citra illam translationem venditor ad traditionem rei non teneatur, l. 13. §. 8. de act. empr. l. 53. de contr. empr. nisi aliter factis factum fuerit venditori pretij nomine, d. l. 53. de contr. empr. aut fides habita de pretio §. venditæ 41. l. de R. D. Fidem autem de pretio habitam tum censemus, quando hoc expressè inter partes actum est.

#### XIV.

**S**I emptor in solvendo pretio moram fecerit, venditori præstabit usuras.

Textus in l. 19. de per. & comm. rei vend. Est enim hoc iudicium bonæ fidei, §. actionum I. de act. in quibus ob moram commissam usuræ præstandæ sunt. l. 32. §. 2 de Usur.

#### XV.

**U**lterius emptor, ad refusionem sumptuum in rem factorum obligatus est.

l. 13. §. 22. de act. empr. ubi hoc exemplis illustratur, l. 16. C. eodem. Ut & ad præstandum omne id, de quo tacitè convenit. l. 9. de act. empr.

#### XVI.

**P**ericulum rei venditæ nec dum traditæ ad emptorem pertinet.

§. 3. Inst. de empr. & vend. l. 5. §. 2. de resc. vend. l. 8. de per. & comm. rei vend. Idq; æquissimum videtur, cum emptor omne commodum etiam ante traditionem sentiat, meritiò eundem sequuntur incommoda. l. 1. C. de per. & comm. rei vend. l. 7. eodem. Accedit quod venditor sit speciei debitor, qui liberatur interitù rei, sine culpâ sua contingente. l. 23. de Verb. Obl. Si verò dolus vel culpa venditoris intervenit, periculum rei venditæ ad emptorem non spectat. l. 2. l. 3. l. 11. de per. & comm. rei vend. Item si morâ venditoris res interit, aut deterior facta est, l. 4. & seq. C. d. t. vel initio contractus aliud speciatim convenit. l. 10. pr. ff. eodem. l. 23. de R. I. Deniq; si res sub conditione vendita pendente conditione pereat, interitus rei venditæ venditorem respicit, si tota periit, si vero deterioratur ad emptorem spectat. l. 8. ff. de per. & comm. rei vend. Schæid. hic n. 5.



## XVII.

**O**Ritur ex emptione & venditione actio empti & venditi.

*l. 11. §. tot. tit. de act. empt.* Ultraq; est bonæ fidei, *l. 11. §. 1. d. r. Inst. §. 28. de act. perpetua Dd. in l. 2. C. de pact. inter empr. & vend. ad hæredes transitoria & directa, quia contractus hinc inde æqualis est, utpote qui utriusq; gratiâ incatur, ut non debeat melior esse alterius conditio Wesenb. *ad r. de act. empt. n. 1.* Non igitur ex hoc contractu actiones contrariæ esse possunt. *Oldendorp. class. 4. act. 1. n. 2. & 4.* Actio empti datur emptori, ejusq; hæredi adversus venditorem, ad consequendum id, quod sibi à venditore præstari oportebat. *l. 11. pr. l. 48. l. 52. §. 1. de act. empt.* Quæ tamen tum demum emptori datur, scilicet ut cum effectu intentari possit, quando ipse contractui ex sua parte satisfacere voluerit, pretiumq; obtulerit. *l. 13. §. 8. de act. empt.* Actio venditi competit venditori ejusq; hæredi, ut consequatur id, ad quod præstandum emptor obligatus erat. *l. Julianus 13 §. 19. de act. empt.* Quid autem specialiter in has actiones veniat, ex ijs, quæ de præstationib; diximus, satis constat,*

## XVIII.

**D**espiciendum restat, quibus modis emptio & venditio vicissim resolvatur & annulletur. Rescinditur primò re integrâ mutuo contrahentium consensu.

*l. 5. §. 1. de resc. vendit.* Sicut enim emptio & venditio consensu perficitur, ita etiam contrario consensu re adhuc integrâ dissolvitur. *§. fin. Inst. quibus mod; toll. oblig. l. ab emptione 58. de pact. l. 1. & 2. C. quand. liceat ab empr. reced.* Cum nihil tam naturale sit, quàm eò genere quid dissolvi, quò colligatum est. *l. nihil 35. de R. l. Mutuus requiritur consensus, sicut enim non ab unâ parte hic contractus perficitur, ita nec alterutrâ parte invitâ regulariter debet rescindi, arg. l. 1. de resc. vend. l. 3. C. deod. ne quidẽ ob rescriptum Principis, d. l. 3. vel propter ignorantiam æstimationis, l. quinq; 15. C. de resc. vend.* Re integrâ mutuo consensu dissolvitur emptio & venditio, quia pretio soluto, & traditione facta solo consensu à contractu recedi nequit, qui non solâ voluntate, sed etiam implemento ac traditione rei est corroboratus, ideoq; opus est, retrò rem tradi ac redhiberi & pretium restitui. *l. 2. de resc. vend. l. 58. de pact. Wesenb. in parat. r. de resc. vend. n. 5.*

19, Dis



**D**issolvitur porrò ob læsionem ultra dimidium justij pretij.

Licet enim naturaliter i. e. Jure gentium ut Cujac, accipit in l. 16. §. idem Pompon. de minorib. & Gothofr. ad d. l. contrahentibus sit concessum deciperè, l. 16. §. idem Pomp. de minor. l. 22. §. 3. locat. cum alioqui nulla conventio securitatem præstaret, nullus esset controversiarum finis, si ob quamlibet læsionem conventa revocari possent. *Mynsing. cent. 4. Observ. 73. n. 11. & 12.* Tamen talis est intelligenda circumventio, quæ factò contingit, & re ipsa, non ex contrahentium machinatione, sed in re & pretio incuriã contrahentium, *Mynsing. ibid. n. 10.* quæ certo modo & quantitate est definita, l. 2. C. de rescind. vendit. ut si læsio justæ æstimationis partem dimidiam excedat, quo casu humanum esse dicitur, ut vel ad æqualitatem contractus reducatur, vel ab eo abeat, d. l. 2. C. e. g. si venditor rem valentem 100. vendiderit minus 50. & emptor rem valentem 20. emerit. 41. *Æstimatio autem per peritos & fide dignos rerum æstimatores, qui testari possunt de vero justoq; rei venditæ pretio & valore, qui fuit tempore contractus, non ex cujuslibet affectione aut privato affectu facienda est. l. 63. ad L. Falgid. Pinell. part. 3. c. 4. n. 17.* Ad emptorem etiam hoc beneficium l. 2. pertinere affirmamus, quia in contrahentibus est observanda æqualitas, arg. l. 81. pro socio. & quod uni concessum est, alteri non est denegandum. l. 1. C. de cupress. ex luc. Daphn. II. Quia non potest sufficiens & solida diversitatis ratio tradi, quare id, quod in uno constitutum est, in altero obtinere non debeat. Ideoq; quos constitutionis ratio conjungit nostrum non est disjungere. arg. l. 32. pr. ad L. Aquil. Si verò contrahentes justum rei pretium & valorem non habuerint incognitum, illis hoc beneficium l. 2. competere non potest, cum scienti & consentienti non fiat injuria per l. vulgat. Si tamen necessitate urgente, quæ præsumptionem donationis excludit, quis compellatur ad vendendum, adhuc hoc remedium locum habere putamus, licet valorem sciat vendens. Nec tantum pro rebus immobilibus, sed etiam mobilibus & incorpo-



corporalibus hoc remedium datur, cum verba d. l. 2. sint genera-  
lia, quorum eadem ubiq; militat ratio.

XX.

**D**Eniq; rescinditur hic contractus propter jus Re-  
tractus.

Jus Retractus sive *ωενήσιως*, quod à nonnullis jus con-  
grui vulgò *der Einstandt* vocatur, nihil aliud est, quàm jus,  
quò permittitur certis quibusdam personis, parentibus, consan-  
guineis, socijs & vicinis rei in extraneum factæ alienationis re-  
vocatio. Estq; jure Divino primo introductum, *Lev. 25. v. 25. Jerem.*  
*32. v. 7. Mynsing. cent. 3. Obs. 51.* sed cum Valent. Theodosius & At-  
cadius l. 14. C. de contr. empt. unjueiq; permitterent, ut rerum suarum  
emptorem quærere posset, nisi lex specialiter quasdam personas  
hoc facere prohiberet: hoc jus novis constitutionibus à lauda-  
tissimo Imper. Friderico confirmatum est, *constit. de jure ωενήσι-  
σιως* quæ extat in *consuet. feud. lib. 5. tit. 13. & seqq.* Quod hodie  
etiam statutis ac consuetudine plerorumq; locorum usu rece-  
ptum esse testantur *Mynsing. cent. 3. Obs. 51. Gail. lib. 2. Obs. 19. n. 1.*  
Competit hoc jus non in venditione rerum mobilium, sed im-  
mobiliu *d. const. Frid.* sub quibus comprehendimus redditus an-  
nuos & jura rerum immobilium. *Gail. lib. 2. Obs. 10. n. 1.* Qui verò  
hoc jure uti vult, tenetur I. ut justum pretium, & integrum offer-  
rat. *d. const. Frid. & l. 13. §. 8. de act. empt.* II. Ut simul cum pretio  
usuras & sumptus necess. factos integrè restituat. *d. constit. Frid.*  
III. Ut requisitus intra 30. dies hoc jure utatur, ut patet ex *d.*  
*const.* non vero requisitus intra annum & diem, nostris dicitur  
**Jahr und Tag.** Anno enim effluxo inducitur sui juris remissio  
*S. Titius filios, si de feud. defunct. cont. sit int. dom. & agnat. vasall. feud.*  
*lib. 2. t. 26.* & annale silentium tempore simpliciter prolato de jure  
Fendali habet vim refutationis. *c. 1. v. porro. feud. lib. 2. tit. 9.* Hocq;  
annale spatium retrahere volentibus concedendum esse, Camera  
Imper. aliorumq; dicasteriorum calculo comprobatum esse tra-  
dunt *Gail. lib. 2. Obs. 19. n. 14. & Mynsing. cent. 3. Obs. 51. n. 3.*

21. Solent



## XXI.

Solent etiam pacta huic contractui adjici, quæ vel sunt legitima (a) vel illegitima (b),

(a) A pactis legitimis voluntate contrahentium adjectis emptio & venditio moderamen accipit. *l. 7. §. 5. de pact. l. 72. h. t. l. 73. §. un. eod.* Itaut ante omnia in consideratione veniant, quæ specialiter placuerunt. Si verò nihil pacto adjectum sit, naturæ contractus inhaerendum erit. *l. 23. de R. I.*

(b) Quæ à legibus improbata sunt, cujusmodi sunt, ne dominium rei emptæ transeat in emptorem, *l. pen. §. ult. h. t. ne pretium fiat venditoris, arg. l. 11. §. 2. de act. empt. ne onus census, quem fundus, qui venditur, fisco aut Reip. debet, emptorem sequatur, l. ult. C. sine censu vel reliq.* Hæc & similia pacta pro non adjectis habentur. *l. 5. C. de legib. arg. l. 7. §. 7. de pact.*

## XXII.

Inter pacta legitima quæ huic contractui adjiciuntur recensemus primò additionis in diem.

Quæ est vel pura, vel conditionalis. Illa censetur, quando hoc actum est, ut meliore allata conditione ab emptione discedatur, & perfecta emptio dissolvatur. *l. 2. de in diem addit.* Hæc verò perfectionem contractus suspendit, & fit sub conditione, ut perficiatur emptio, nisi melior conditio offeratur. *d. l. 2.* Effectus hujus distinctionis proponitur, *in d. l. 2. §. 1. & ll. seqq.* Ubi enim pura emptio est, emptori, cui res ita in diem addicta est, usucapio prodest, sicut & fructus & accessiones talis emptor lucratur, *d. l. 2. in fin.* cujus tamen limitatio proponitur *in l. 6. pr. de in diem addit.* periculumq; si res interierit, sustinet. *d. l. 2. §. 1.* Cujus postremi membri ratio assignatur. *in l. 3. de in diem addit.* Quia post interitum rei nulla amplius melior conditio afferri potest. Ubi autem conditionalis venditio est, nec usucapere potest emptor, nec fructus ad eum pertinent. *l. 4. de in diem addit.* Ut autem hoc pactum robur suum obtineat, requiritur ut intra statum



tam diem alius emptor existat, isq; meliorem conditionem offerat *l. 4. §. 5. & 6. de in diem addit.* Melior autem conditio offerri videtur, si vel pretio sit additū, vel solutio facilior aut maturior, vel quid utilius venditori offeratur *l. 4. §. fin. cum ll. seqq. ff. eodē Wesemb. in parat. d. r. n. 4.* Licet autem venditori, meliori allatā conditione, addicere posteriori nisi prior emptor plus adjicere paratus sit *l. 6. §. 1. & l. 7. eodem* cui fini necesse habet venditor priorem emptorem certiorē facere, ut si quid alius adjicit, ipse quoq; adicere possit *l. 8. de in diem addit. Wesemb. in parat. hic n. 4.*

### XXIII.

**D**Einde apponi nonnunquam solet huic contractui  
Lex Commissoria.

*l. 1. & tot. tit. de Leg. Commiss.* Ubi vocabulum lex, nihil aliud denotat, quam pactionem & conventionem. Unde etiam minus Latinē dici pactum Legis Commissoriae notat Gothofred. *ad rubr. hujus tit.* Describitur autem Lex Commissoria, quod sit pactum, quo id agitur, ut nisi intra certum diem pecunia exsolvatur, res sit inempta *l. 2. & 4. de Leg. Commiss.* Dicitur verō hæc Lex Commissoria, quod in eam committit qui contra eam aliquid facit. Cujac. *hic.* Si igitur Emptor hoc pacto adjecto constitutā die pecuniam non offerat, etiam non interpellante venditore, in Legem committit *l. 4. §. fin. ff. de Leg. Commiss. cum dies hinc pro homine interpellat d. l. 4.* Quā commissā in venditoris potestate est, emptionem resolvere, vel pretium petere *l. 3. & 4. §. 2. h. r.* Ita tamen, ut si alterutrum elegerit postea variare non possit *d. l. 4. §. 2.* Competit autem venditori actio personalis venditi juxta *l. 4. pr. h. r.* vel rei vindicatio *l. ult. h. r. l. 4. C. de pact. inter empt.* Cum vi & potestate hujus pacti dominium ipso jure redeat ad venditorem.

### XXIV.

**L**icitè quoq; adjicitur pactum de retrovendendo.


C 2

l. 2, C.



l. 2. C. de pact. int. empt. & vend. Hoc pactum describi potest, quod sit conventio, quâ ea lege emptio & venditio contrahitur, ut venditori pretium acceptum restituenti, res divendita restituatur d. l. 2. Licet enim hoc pactum adjiciatur, tamen domini translatio per hoc pactum non impeditur, sicut etiam nec per Legem Commissoriam. In eo tamen differunt Lex Commissoria & hoc pactum de retrovendendo, quod illa vi & potestate sua resolvat venditionem, & dominium ipso jure ad venditorem redire faciat, cum secundum præcedenti ð. dicta ex pacto & Lege illa venditori quaratur jus reale. arg. l. ult. de Leg. Commiss. l. 1. eodem l. 4. C. de pact. int. empt. & vend. Hoc verò pacto contractus emptionis venditionis ipso jure non dissolvitur, cum ex eo venditori jus reale non acquiratur arg. l. 2. C. d. r. Hoc pacto comprehendi etiam hæredes, scilicet ut effectus hujus pacti, obligatio & actio transeat, statuimus arg. l. 9. de probat.

Tandem etiam huic pacto, seu potius actioni inde quaræ sitæ triginta annis præscribi posse existimamus per l. 3. C. de præscript. long temp. 30. vel 40. ann. l. c. §. 1. C. de annal. except.



Præstantissimo & Literatissimo  
 Dn. HENRICO STAMMICHIO  
 hujus Disputationis Auth. & Respond.

**S**I quod recta jubet ratio, quod regula Christi  
 Præcipit, exemplo quod probat ipse suo:  
 Sponte bonâ coleret plebes, plebûq; magistri,  
 Nec ducis errorem grex sequeretur iners:  
 Nil bis sex tabulû legum, nil jure Quiritum,  
 Nil quod Papa recens condidit, esse opus.  
 Nunc ubi nec rectum, nec justum secula curant,  
 Rectum etiam & justum novit & odit homo:  
 Lege opus est multâ, multoq; interprete legis,  
 Quam trahat in sensus ille vel ille suos:  
 Scinduntur varij studia in diversa patroni,  
 Alter ait, verum quod neget alter erit.

Firs



Fervet opus, spirant diversa oracula folles,  
Quisq; velit sensu cedere, nullus erit.  
Hic ergo labor est quærendoprehendere justum,  
Quod studij meta & limes, amice, tui est.  
Accedent tamen, ut voveo, sperata labori  
Præmia, nec solo nomine Doctor eris.

benevolentia ergo facieb.

Joannes Hufvedelius

Phil. Pract. Prof.



Sunt quos blandus amor tenet indagare Poetas,  
Carminibus celebres condecorare viros.  
Ille sonos fingit, vario modulamine, dulces,  
Mellifici mulcens pectora dura choris.  
Alter amat lustrare latentia pignora florum  
Fructiferum, ignavis pandere terricolis.  
Hinc alij scandunt coelestia ad culmina celsa,  
Tectaq; Pegasidum clara labore petunt.  
Abstrusis placet huic annos concredere technis  
Laudeq; fallaci pectora pascit, iners!  
Non sic flos juvenum STAMMICHII tempora perdis,  
Nec vanis spebus nomina chara dicas.  
Sed Themidi invigilare studes, præceptaq; JURIS  
Undiq; conquiris: Te pius urget amor.  
Sic alacri Themidos si scandere culmina perges,  
Te laus & Virtus, te decus omne colet.

amicæ congratulationis ergo Dno. commensali  
l. mqs. appof.

Theodoricus Kerstens Libav.  
Curland.













*l. 2. C. de pact. int. empt. & ven-*  
 test, quod sit conventio, quâ ea le-  
 hirur, ut venditori pretium accepti  
 restituatur *d. l. 2.* Licet enim hoc p-  
 minii translatio per hoc pactum  
 nec per Legem Commissoriam.  
 Commissorie & hoc pactum de re-  
 potestate sua resolvat venditionem  
 venditorem redire faciat, cum secun-  
 pacto & Lege illa venditori quærat  
*Commiss. l. 5. eodem l. 4. C. de pact. in-*  
 pacto contractus emptionis vendi-  
 tur, cum ex eo venditori jus reale non  
 Hoc pacto comprehendi etiam hæret  
 pacti, obligatio & actio transeat,  
 Tandem etiam huic pacto, seu  
 triginta annis præscribi posse  
*prescript. long. temp. 30. vel  
 de annal. ex*



Præstantissimo &  
 Dn. HENRICO S  
 hujus Disputationis Au

**S** I quod recta jubet ratio, quod regulæ  
 Præcipit, exemplo quod probat  
 Sponte bonâ coleret plebes, plebûq;  
 Nec ducis errorem grex sequeretur  
 Nil bis sex tabulâ legum, nil jure Quir  
 Nil quod Papa recens condidit,  
 Nunc ubi nec rectum, nec justum secula  
 Rectum etiam & justum novit  
 Lege opus est multâ, multoq; interprete  
 Quam trahat in sensu ille vel ill  
 Scinduntur varij studia in diversa parti  
 Alter ait, verum quod neget alter

am describi pot  
 venditio contra  
 res divendita  
 tur, tamen do  
 , sicut etiam  
 n differunt Lex  
 quod illa vi &  
 im ipso jure ad  
 enti h, dicta ex  
 arg. l. ult. de Leg.  
 nd. Hoc verò  
 e non dissolvi-  
 arg. l. 2. C. d. r.  
 t effectus hujus  
 l. 9. de probat.  
 inde quæsitæ  
 l. 3. C. de  
 C.



HIO

Fers

